

Apoll und Hyacinthus

Ov. met. 10,162-219

*Te quoque, Amyclide, posuisset in aethere Phoebus,
tristia si spatiū ponendi fata dedissent;
qua licet, aeternus tamen es, quotiensque repellit
ver hiemem Piscique Aries succedit aquoso, 165
tu totiens oreris viridique in caespite flores.
te meus ante omnes genitor dilexit, et orbe
in medio positi caruerunt praeside Delphi,
dum deus Eurotan immunitamque frequentat
Sparten. nec citharae nec sunt in honore sagittae: 170
inmemor ipse sui non retia ferre recusat,
non tenuisse canes, non per iuga montis inqui
ire comes longaque alit adsuetudine flamas.
iamque fere medius Titan venientis et actae
noctis erat spatioque pari distabat utrimque: 175
corpora veste levant et suco pinguis olivi
splendescunt latique ineunt certamina disci,
quem prius aërias libratum Phoebus in auras
misit et oppositas disiecit pondere nubes;
reccidit in solidam longo post tempore terram 180
pondus et exhibuit iunctam cum viribus artem.
protinus inprudens actusque cupidine lusus
tollere Taenarides orbem properabat, at illum
dura repercusso subiecit in faere† tellus
in vultus, Hyacinthe, tuos. expalluit aeque 185
quam puer ipse deus conlapsosque excipit artus
et modo te refovet, modo tristia vulnera siccata,
nunc animam admotis fugientem sustinet herbis:
nil prosunt artes; erat inmedicabile vulnus.
ut, si quis violas riguoque papaver in horto 190
liliaque infringat fulvis horrentia linguis,
marcida demittant subito caput illa gravatum
nec se sustineant spectentque cacumine terram,
sic vultus moriens iacet, et defecta vigore
ipsa sibi est oneri cervix umeroque recumbit. 195*

'laberis, Oebalide, prima fraudate iuventa,'
Phoebus ait 'videoque tuum, mea crimina, vulnus.
tu dolor es facinusque meum; mea dextera leto
inscribenda tuo est. ego sum tibi funeris auctor.
quae mea culpa tamen? nisi si lusisse vocari 200
culpa potest, nisi culpa potest et amasse vocari.
atque utinam pro te vitam tecumque liceret
reddere! quod quoniam fatali lege tenemur,
semper eris mecum memorique haerebis in ore.
te lyra pulsa manu, te carmina nostra sonabunt, 205
flosque novus scripto gemitus imitabere nostros.
tempus et illud erit, quo se fortissimus heros
addat in hunc florem folioque legatur eodem.'
talia dum vero memorantur Apollinis ore,
ecce cruor, qui fusus humo signaverat herbas, 210
desinit esse cruor, Tyrioque nitentior ostro
flos oritur formamque capit quam lilia, si non
purpureus color his, argenteus esset in illis.
non satis hoc Phoebo est (is enim fuit auctor honoris):
ipse suos gemitus foliis inscribit et AI AI 215
flos habet inscriptum, funestaque littera ducta est.
nec genuisse pudet Sparten Hyacinthon, honorque
durat in hoc aevi, celebrandaque more priorum
annua praelata redeunt Hyacinthia pompa.